

CCX.

Anno 1673. die 29. Januarii. Viennae.

**Privilegium a Leopoldo I. Rege oppido Cirkveno, tardius
Confinio militari via facti incorporato, concessum.**

Nos Leopoldus Dei Gratia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Slavoniae, Ramae, Serviae, Galliciae, Lodomeriae, Cumaniae, Bulgariaeque Rex &c. Archidux Austriae &c. Memoriae commendamus tenore praesentium significantes quibus expedit universis. Quod cum ampla Principum liberalitas in munificentia & benemeritorum suorum subditorum remuneratione consistat, recte ac sapienter a vetustissimis Imperatoribus & Regibus factum esse judicamus, dum singulos secundum merita amplitudine beneficiorum prosecuti sunt. Quos sicut in aliis optimo Principe Dignis virtutibus, ita hac quoque in parte libenter imitamur, & propterea ad universorum cum praesentium, tum futurorum notitiam harum serie volumus pervenire: Quod fideles nostri strenui incolae ac inhabitatores universi Oppidi, Castellique & Territorii Czirkveno omnino in Regno nostro Slavoniae & Comitatu Crisiensi existentes habiti, alias quidem antea ad fidelem nostrum, Nobis dilectum Spectabilem & Magnificum Joannem Josephum Comitem ab Herberstein, Liberum Baronem in Neuberg & Guettenhag, Dominum in Lankovicz &c., Camerarium & Consiliarium nostrum spectantis, Majestati Nostrae humillime repraesentarint; qualiter videlicet idem Comes dictum Oppidum, Castellumque ac Territorium simul cum omnibus pertinentiis, Colonis, Inquilinis, terris arabilibus cultis & incultis, agris, pratis, campis, pascuis, pascuationum locis, foenetis & foenilibus, sylvis, nemoribus, montibus, collibus, vallibus, vineis, vinearumque promontoriis, juribus Montanis, Teloniis, Jure gladii, nundinis, metalibus, pontibus, aquis, fluviis, piscinis, piscaturis, pisciumque clausuris, aquarum decursibus, molendinis & eorundem locis, generaliter vero quarumlibet utilitatum ac pertinentiarum suarum, integritatibus, quovis nominis vocabulo vocitatis, ad praenotatum Oppidum, Castellumque ac Territorium Czirkveno de jure & ab antiquo spectantibus & pertinere debentibus, iisdem Oppidanis & Incolis, ipsorumque haeredibus & posteritatibus utriusque sexus universis in & pro florenis Rhenensibus septem millibus, certis, et iis rationabilibus de causis, modisque ac motivis ipsum ad id inducentibus, median-
tibus certis litteris fidelium nostrorum Honorabilium Capituli Ecclesiae Zagrabien-
sis Fassionalibus eatenus sub authentico ejusdem sigillo confectis & emanatis, coramque Cancellaria Nostra Hungarica Aulica in Specie productis, dedisset, vendidisset ac inperpetuasset, Dominiumque illorum de manibus suis, per manus ipsorum Oppidanorum & Incolarum mox & ipso facto apprehendere permisisset, jure perpetuo & irrevocabiliter tenentium, possidentium pariter & habentium, nihil